



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus Hvmanis. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censbris.
Prælectiones Theologicæ Posthvmæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

Dvb. Vtrum Christi gratia non sit absolutè infinita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

ARTICVLVS X.

Vtrum Gratia plenitudo sit
Christo propria?

²⁵ *Affirmo.* R. Espondetur, Et si multi in Scripturis modo quodam dicantur pleni gratia; tamen solus Christus habet absolutam gratia plenitudinem, attingens summum gratiae, quoad essentiam gratiae, & quoad virtutem; id est, summam intentionem & extensionem. Vbi

Plenitudo
gratiae va-
rie varijs
tribuitur
in Scriptu-
ra.

Notandum est in Scripturis tribui plenitudinem gratiae varijs personis, sed non eodem modo: quibusdam enim tribuitur plenitudo, quia est in illis quædam abundantia gratiae, supra eam, quæ ad salutem est necessaria. Sic ad Ephes. 3. v. 19. *Vt im- pleamini in omnem plenitudinem Dei.* Et ad Philip. 1. v. 11. *Repleti fructu iustitia.* Secundò, Tribuitur quibusdā plenitudo respectu subiecti seu officij, ad quod diuinitus electi. Sic dicitur pleni gratia, vel Spiritu sancto Iohannes Baptista, Stephanus, Apostoli, &c. Tertiò, Est plenitudo perfecta ipsius gratiae, absolute considerata; & hæc est in solo Christo. In ipso enim est gratia secundum omnē intentionem & extensionem effectuum, quam Deus in viuero cōstituit conferre. Et Probatur, quia ea plenitudo gratiae tribuenda est Christo, qua maximè decebat Filium Dei naturalem, & omnis gratiae fontem. Et insinuat Iohann. 1. v. 14. *Vidi- mus quasi Unigenitum à Patre, plenum gratiae & veri- tatis.* Et v. 16. *De plenitudine eius nos omnes accep- mus.* Atqui dignitas Filij Dei, excedit omnem dignitatem creaturarum etiam posibilem; & plenitudo fontis, excedit omnem copiam rivulorum: ergo debet in illo esse gratia, qua nulla posset esse maior, aut intensius aut extensius; saltem secundum potentiam ordinariam. Vnde ad Coloss. 1. v. 19. dicitur: *In ipso complacuit omnem plenitu- dinem inhabitare.*

²⁶ *Quadru-
plici consi-
deratione
Christus
est plenus
gratia.*

Vnde colligo Christum dici plenū gratia quaduplici cōsideratione: Primo, Quia habuit summam & intensiū & extensiū quæ secundum diuinam prædestinationem erat conferenda in viuerosum. Secundo, Quia habuit omnem, quam de- cuit habere naturam creatam summum Deo vnitam; scilicet unitam in unitate Personæ. Tertiò, Quia habuit omnem, quam oportebat habere fontem, & viuendale principium glorificationis in toto genere humano. Quartò, Quia extendebat se ad omnes effectus gratiae: quidquid enim per aliquod donum gratiae fieri poterat, per eius gratiam est præfatum. Vide Cyrrillum lib. 1. in Iohann. c. 17. Sicut, inquit, *Filius accipit à Patre totam hereditatem,* seruus autem manerat quædam; ita Christus totam gratiam substantiam, reliqui particulas. Vide eundem lib. 2. in Iohann. c. 72. & 73. S. Chrysostom. de Spiritu S. tom. 3. D. Hieron. in c. 11. Isaia. D. August. tract. 14. in Iohann. & D. Greg. lib. 29. Moral. c. 30.

ARTICVLVS XI.

Vtrum Christi Gratia sit infinita?

²⁷ *Distingui-
tur.* R. Espondetur Primo, Gratia unionis est infi- nitæ; quatenus videlicet unit per sonam infinita perfectionis. Secundò, Gratia habitualis, in

ratione entis, est finita. Quod intellige, non solū, quia limitata est ad certam speciem; sed etiā quia limitata est ad certos gradus perfectionis intensiū intra suam speciem. Tertiò, Gratia habitualis, in ratione gratiae, potest dici infinita: quia habet quidquid pertinet ad rationem gratiae, & potest extēdere ad infinitos effectus. Quo pacto lux solis potest dici infinita. Vbi aduerte, ex his solū colligi Christi gratiam & dona habitualia esse infinita comparatiū, nempe respectu effectuum infinitorum.

D V B I V M.

Vtrum Christi Gratia non sit abso-
lutè infinita?

²⁸ *Ioannes
Maior
affirmat.* Quidam censem absolutè infinitam in perfec- tione intensiū. Inter quos Ioannes Maior in 3. dist. 13. q. 3. Ratio ipsius est, quia id non in- uoluit contradictionem. Quo posito, nulla gratia effet magis commensa & accommodata dignitati illius animæ ad diuinam personam assumptæ.

Sed longè probabilius & verius est Christi <sup>Verius
negatur.</sup> gratia non esse infinitæ perfectionis intensiū. Est communis Theologorum in 1. dist. 17. vbi vide Gregorium Ariminensem qu. 6. & in 3. dist. 13. Ratio est, quia impossibile est ut aliqua forma creata seu qualitas ita sit infinita. Cuius ulterior ratio est, quia anima Christi cognosceret & diligenter Deum infinitè; ac proinde ipsum comprehendenderet. Idem etiam alijs rationibus efficaciter probari potest ex Philosophia.

Dices, D. Thomas hoc Articulo dicit Christi gratia esse infinitam secundum rationem gratiae. Secundò, Magister dist. 13. dicit Christi animam tantam habuisse gratia plenitudinem, ut ampliorum Deus conferre non potuerit: ergo erat infinitè intensa. Confirmatur Iohannis 3. v. 34. Non enim ad mensuram Deus dat spiritum, scilicet, Filio, vt explicat S. Thomas.

Respondeo ad Primum; Illam qualitatem, <sup>Gratia
Christi
tripliciter
potest
infinita.</sup> que est gratia, ceteraque Christi virtutes, non esse realiter & physicè infinitæ perfectionis: po- dicit potest terant tamen dici infinita in ratione gratiae, idq; ob tresrationes. Primo, Quia habebant quandam dignitatē & estimacionem infinitam in ratione gratiae; quatenus erant in persona infinita digni- tatis: Sicut opera Christi erant infinita, non qui- niam in ratione entis, sed in ratione meriti, ob dignitatem persona. Non tamen ideo omne acci- dens quod erat in Christo Domino, dicendum erit infinitū; quia etiā illud acciperet singularem quandam dignitatem ex coniunctione cum Per- sona diuina, non tamen ideo crescebat in suo ge- nere. V. g. color Christi habet eximiam dignita- tem, ex eo quod fit cōiunctus Persona Filij Dei;

<sup>Primò,
quia est in
persona in-
finita digni-
tatis.</sup> ratione cuius, cum summa reverentia est intuen- dus: hæc tamen dignitas non auget colorem in suo genere; nec etiam confert ad moralem boni- tatem seu meritum. Gratia tamen per coniunctionem cum diuina Persona crevit in suo genere; Cū enim gratia sit reddere subiectum gratum, & opus meritorum; accidente hac dignitate, ipsa gratia ita crescit in suo genere, ut infinitè fiat gratia & amabilis: adeò ut opus ex ipsa proce- dens, sit infiniti meriti. Et sic gratia habitualis Christi, ratione coniunctionis cum diuina Per- sona, est infinita in genere gratiae.

^{ff ij}

Secundò,

64 Qu.7. De Gratia Christi prout est singularis homo. Art. 12. Dub. 1.

Secundò, quia ordinatur ad unionem infinita dignitatis.

Secundò, Gratia Christi potest dici infinita, quia ordinatur ad unionem infinita dignitatis, scilicet hypostaticam, quae est altissimus finis, ad quem gratia potest ordinari. Porro huic fini gratia Christi est commensurata iuxta diuinę Sapientię mensuram; & ideo D. Thomas dicit gratiam Christi attingere summum gratiae secundum essentiam, quia essentia gratiae ordinatur ad unionem cum Deo: atque haec gratia attingit eam mensuram, quae respondet summae unioni: ergo haec gratia attingit summum gratiae.

Tertiò ratione effectione eius.

Tertiò, Potest dici infinita in ordine ad suos effectus: tunc, quia est principium infiniti meriti; tunc, quia est principium omnis gratiae in omnibus hominibus, etiam in essentiis infiniti. Vnde in Christo est tamquam in fonte, & causa uniuersali, sicut aqua in mari, & lux in sole: in alijs autem solū participatione ab illa. Item in Christo habet omnem effectum gratiae; scilicet meritum gratiae praevenientis, iustificationis impij, remissionis culpa mortalium, & poenitentiae, augmenti gratiae, cuiusvis auxilij specialis, persecutantiae, & gloriae: item omnium gratiarum gratis daturum. In alijs autem habet effectum limitatum. Et ita Christi gratia attingit summum gratiae secundum virutem.

Ad Secundum; Testimonium Magistri intelligendum est de potentia ordinaria. Ad Confirmationem; Locus iste Ioannis, videtur intelligendus de donatione, qua Pater dedit Filium mundo: vel certe quā diuinitatem donavit humanæ naturæ.

ARTICVLVS XII.

Vtrum gratia Christi potuerit augeri?

30

R Esondetur, Non potuisse augeri, tunc, quia Christus erat beatus secundum animam; ac proinde in termino: tunc, quia gratia ipsius secundum ordinationem diuinę Sapientię era commensa summae unioni cum Deo.

DVBIVM I.

Vtrum per potentiam Dei absolutam dona habitualia Christi potuerint augeri?

31
Scotus negat de gratia ut est in tali subiecto.

Q Vidam existimat ea nullo modo augeri posse, quamuis in se finita sint: quia existimant dari certum terminum perfectionis intensum omnium habituum & qualitatum, ultra quem non possint per viam potentiam crescere. Christi autem gratiam & virtutes habere hunc terminum. Ita Scotus doceat in 3. dist. 13. quæst. 1. & 2. cui assentitur Cajetanus hoc loco, & 2. 2. quæst. 24. art. 7. Idem tenet Durandus dist. 13. quæst. 1.

Richardus negat de gratia ut est in tali subiecto.

Alij putant haec dona secundum se quidem augeri posse; tamen ut sunt in tali subiecto, non posse. Ratio est, quia capacitas animæ Christi limitata est; & penitus per illa dona expleta. Similiter capacitas Angeli limitata est, quamuis hec sit maior quam Animæ. Ita Richardus in 1. dist. 17. art. 2. quæst. 4. Eadem exp̄s̄ tenet Driedo De captivitate & redēptione generis hu-

mani, traict. 2. cap. 2. pag. 59. non tamen negat quin diuina virtute possit esse maior. Pro eadem citatur Bonaventura; sed obscurè loquitur.

Respondeo & Dico Primo, Gratia & virtutes in Christo non habent summam perfectio-
nem intensuam, quam per potentiam Dei absolu-
tum habere possunt; ac proinde per candem
possunt augeri, idque sine termino. Est commu-
nis sententia Theologorum in 3. dist. 13. & in 1.
dist. 17. & exp̄s̄ D. Thomae 2. 2. quæst. 24.
art. 7. vbi docet Charitatem tam ex parte sub-
iecti, quam ex parte formæ, posse in infinitum
augeri; & in hoc augmentatione nullum esse statum.
Et Probatur; Si enim lux solis erit maior septu-
plo Isaie 30. vers. 26. quam sit modo, vt fate-
tur D. Hieronymus, & Liranus ibi: & commu-
niter Doctores in 4. dist. 48. multò magis gratia
quae est participatio diuinæ naturæ, augeri sine
termino potest.

Dices; Gratiam secundum se quidem augeri posse, tamen capacitatem animæ esse limitatam. Respondeo; Haec duo non confundere; quia cum omne accidens ex essentia sua respiciat subiectum capax, non potest secundum se, & extra subiectum, magis intendi, quam in subiecto. Addo; Capacitatem animæ non esse limitatam; quia non est naturalis, nec terminis naturæ concluſa; sed est capacitas obediensialis, commensa diuinae potentie. Vnde etiam non est maior in Angelo, quam in anima.

Dico Secundò: Gratia habitualis, & ceteræ virtutes supernaturales Animæ Christi, fuerunt *Non tam* summae, quae esse poterant per potentiam Dei *per poten-* ordinariam: id est, per eam potentiam quae operatur secundum mensuram à diuina Sapientia præstitutam. Est communis Doctorum, dist. 13. & hoc est quod passim vult D. Thomas cum dicit, Gratiam Christi fuisse summam secundum essentiam. Hinc Ioan. 1. vers. 14. dicitur *Pleus gratia*. Ratio est; Quia gratia Christi iuxta diuinam dispositionem est commensa summae unioni, quae esse potest inter creaturam & Deum: ergo secundum diuinam dispositionem non potest esse maior. Confirmatur; Si haec mensura possit excedi, illa gratia ab initio non habuisset conuenientissimam proportionem cum unione hypostatica.

Dices; Ergo nec per potentiam absolutam augeri potuſſet. Respondeo Negando Consequentiam; Quia alia mensura à diuinâ Sapientia potuſſet constitui; numquam enim defuerint rationes Deo, ad maiorem & maiorem in infinitum constituendam: quamquam secundum eas rationes quas nunc reip̄a spectauit, conueniens non esset eam augeri. Ex his patet, nullius creature gratiam posse ad tantam perfectionem ex crescere. Nam gradus ipsius præfixus ordinatione est ex diuinâ, incomparabiliter est minor. Tempus *fore ad* etiam vitæ, & auxilia longè inferiora. Deinde nullius creature gratia, quantumcumque crescat, poterit vñquam pertingere ad eam perfectionem, quam habet gratia Christi ex coniunctione cum persona diuina. Et hoc est quod vult D. Thomas art. 11. ad 3.

DVBIVM